



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...

Pars Altera Libri XVIII

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1625

Liber Quartus decimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11182



IOSEPHI RIPAMONTII
 E COLLEGIO AMBROSIANO
 HISTORIARVM
 ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Quartus decimus..

ROPVLVM Ecclesiamque Mediola-
 nensem interea suae calamitates lace-
 rabāt, versis in Sforciam iisdem armis,
 quae ipse arma ad sui defensionem in
 Italiam acciuerat. Cūque res Gal-
 lorum feliciter quotidie procederent, & vno victo-
 riarum tenore iam illi regionem eam, quae trans
 Padum est, subegissent, trepidus Sforcia principes
 vrbis conuocauit, vt quid in tali tempore agendum
 esset, ex eorum sententia constitueret. Erant in eo
 conuentu, praeter alios consilio auctoritateque
 principes viros, Cardinales tres; Ascanius ipse Ludo-
 uici frater, Sanseuerinas, & Estensis, qui Archiepisco-
 pus vrbis hoc tempore erat, & propter intimam
 cum Sforciarum domo affinitatem, magnis etiam
 Imperij

Imperij rebus miscbatur. Sanseuerinas pariter affinis intimusque erat: Ascanius infensum sibi Pontificē Romae expertus, relicta ea vrbe concors agebat fratri, paribusque cum eo consilij administrabat rem. Hi cū adessent, Ludouicus sermonem cum est ingressus, vt diceret, se augentem bello rem Mediolanensem, atq; propulsātem aliena pericula suis armis, repente à quibus minime debebat, fuisse destitutum. Sic pergant, haud dubitare, quin perdita profligataq; omnia propediem in potestatem hostium ventura sint, ipseque cum tota domo profugus & extorris, humanarum rerum exemplum praebiturus. Urbem Mediolanum, & patriam communem hanc, & Metropoliū Insubriae, Ecclesiamque Ambrosianam in manu fore Gallorum, qui crudelius infestiusq; quā vlli barbari vastare terram Italiam parent. Proinde orare, vt si mite suum iustumque Imperium semper experti fuerint, mitiusque etiam & liberalius in posterum sperent, ab ea fide ne desciscant, quā iureiurando obstrinxerint sibi tunc cū in Templi maximi celsissima Sede sit Mediolani Dux appellatus. Affirmauere omneis, donec sanguinis & virium quicquam superesset, impigre laturos opem, & pro salute imperioque tam bene meriti Principis ad extremum vsque spiritū esse dimicaturus. Id pro se quisque ostendebant atque profitebantur. Etiam fuere, qui descripta offerrent nomina paucorum, quibus ambigua fides, & prona in Gallum studia essent; moncbantque principem, vt eos coercendo, statueret exemplum vindican-

dae perfidiae, quo exemplo suspensi caeterorum animi res omittere nouas cogentur. Non tamen in eos animaduersum est, quod bonitate Ludouici factum credidere quidam; alij Fati vim occultam obstinisse perleuitatem aiebant. Antonius erat quidam Landrianus praecipuâ apud Ludouicum gratiâ, idemq; summo inter ciues odio, propterea quod, exigendo acerbè vectigalia, fundos rectaque omnium, vsque ad Ecclesiasticae immunitatis violationem, immodice onerando, priuatorum fortunas afflixisset. Sed cum esset ille Principi acceptissimus, execrabantur magis eum homines, quàm violatè audebant. Hunc Simon Rigonus Gallicarum partium homo, ratus impedimento esse quominus Sforcia Mediolano eijceretur, tollere agitauit, adfuitq; facinori fortuna, & interfectus ab Rigone Landrianus, absque vlla funebri pompa post biduum in D. Petri Templo, quod Benedictini Patres tuentur, est sepultus. Eius hominis nece concidère penitus Ludouico animi, neque dubitatum est, quin res ea Sforciam profligarit. Namque saluo Landriano, aut ipse Sforcia mansisset in arce, aut illum ibi constituisset, & varietates eae, quae versantur in bello, fortasse aliquod interea salutare momentum attulissent. Postquam ille cecidit, pauens tremensque Sforcia, conuocatis primoribus ex vniuerso Clero populoque Mediolanensi, praesentem rerum statum maiore quàm antea querimonia demonstrat, obsecratque, vt debitam in omni fortuna principi suo fidem tanto magis in eo rerum

di-

discrimine ad vltimum vsque praestare velint. Mox ipse, compositis ad fugam rebus, sublatisque thesauris, & praemisissis Comum filijs, proripere sese ex Gallorū manibus in Germaniam ad Caesarem parabat. In discessu, cum patriam, & fortunae suae sedem, Ecclesiamque hanc relinqueret praedam hosti, non defuit infelix, & nihil profutura cura, qua disponderet alienam imperij negotia tutelamque vltimam. IV. Viros, in quorum prudentia & fide plurimum spei haberet, elegit, qui vobis & Imperij statum in media illa desperatione regerent ac tuerentur. Hi fuerunt, Hieronymus Landrianus vniuersi Humiliatorum Ordinis Antistes: Ioannes Iacobus Castelloneus Archiepiscopus Barri: Antonius Triultius Episcopus Comi: Franciscus Bernardinus Vicecomes. Hi deinde ex principibus urbis eligere pari secum arbitrio & potestate octo alios debebant. In D. Mariae Aede, quae Rosa dicitur, pronuntiata sunt eorum nomina, quos IV. Viri ad afflictæ patriæ tutelam assumerent secum, princepsque omnium fuit Gibertus Borromaeus, ille ad cuius nomen procumbere veneratione legentes velim sicut scribenti mihi procumbit inclinaturque pietate animus. Hic enim D. Caroli Auis fuit: ex huius prodire stirpe post aliquot annos debebat vnus homo, qui patriæ nostræ salus, Orbi terrarum vniuerso miraculum esset. Caeterum, plenus fugæ trepidationisque Sforcia, cum raptum hunc ex aliena injuria principatum relinqueret, miserabile exemplum praebuit omnium rerum, quæ in tali fortuna spectari possent,

possent, quarumue spectaculum humanus animus esse consuevit, ubi caligo desperationis & diuini Iudicij horror incessere. Restituit Angliam & Aronam & castella alia Borromaeis, quae licentiâ dominatus occuparat infensus opibus & nobilitati Gentis, cuius gloriam in fastigij sui diminutionem accepisset. Alijs illustribus familijs illata damna compensauit large & effuse, nec tamen magnâ in vulgus famâ, quia ruentis iam fortunae prodigus, & sera illa velut ex alieno liberalitas dicebatur. Ecclesia praecipue sensit eiusmodi munificentiam, missis raptim ad templa regalibus donis, & data pauperibus stipe, nec re omisa vlla, quae in tali tempore placamentum irae celestis, blandimentumue ciuibus foret. Tunc Galeacij quoq; domum, & vxorem, & prolem respexisse clementer est visus, tamquam calamitas ipsa euicisset animum ad misericordiam sui sanguinis, quem in secundis rebus opprimendo & abolendo, se ipsum euerterat. Namq; multis cum lacrymis amplexus Isabellam, rogare institit, vt Franciscum eius filijs natu maximum ad sportandum secum in Germaniam Gallorumque violentiae subducendum daret. Quod abnuere illa excusationibus varijs; sed reuera metus erat, ne raptor Imperij patruus, etiam Imperio amisso, heredem odisset velut exprobrantem infelicis iniuriae dedecus, & quacunq; incederet extorrec agmen, commoturum iras aduersus authorem calamitatis. Ille testatus superos, cordi temper fuisse sibi Patriarchatus salutem, & commodam ciuium, & Ambrosiani nominis dignitatem, nec habere,

Bere quòd Ciuitatis Clerique mutuam erga se fidem,
officiumue accularer, profiteri non desijt & affirmare
vltro, quemadmodum iratum sibi Numen agnosceret;
eius arcano iudicio in illas miseras incidisse. Pridie
Cal. Septembris inclinato in vesperam die, egressus
Arce speciem praebeuit, tamquam rectà Nouocomum
tenderet; ac sequente nobiliu magmine cùm aliquantū
„ viae processisset, conuersus ad eos; Satis inquit, haec-
„ nus officij est; redite iam ad lares vestros, & Patriam.
„ istam tuemini concordibus animis, ac estote memores
nostri. Credidere qui sequebantur, velle Principem
vitatâ frequentiâ & celebritate properum expeditūq;
ire, ac nihil cunctati conuertebant capita equorum,
domumque abibant. Enimvero Sforcia, quamuis
abeundi certus, tardabatur patrij soli dulcedine, cogi-
tabatque identidem, quanti discriminis foret, ipsam
Imperij sedem reliquisse; latebras & effugia semper se
inuenturum; vbi semel excessisset, reditum fore in po-
testate aliena, discessuque illo cuncta hosti in manum
dari. Talia, sicut existimare licet, animo voluens,
flexo ad laeuam itinere (nam Porta Comensi exierat)
ad Deiparae Aedem, quae Gratiarum dicitur, cum
paucis adequatauit. Ibi flexis ad aram genibus ali-
quandiu moratus, ac deinde collocutus cum Antistite
Monasterij primoribusque Patrum, in Arcem, vnde
exierat, redijt, plenus suae, plenus alienae moestitiae,
quam in singula momenta, facies ad spectusque loco-
rum & hominum augebat. Namque Aedem illam
D. Mariae Gratiarum, familiae suae opibus conditam

orna.

ornatamque intuendo; Arcem deinde ipsam, patris u
 monumentum, & in ea sede fidissimos amicorum, ceu
 nunquam postea visurus, vltimum illud oculis vsur-
 pando, angebatur. Tradunt, cum ex Templo in Arcem
 rediret, obuersante imagine tot ornamentorum ac
 munerum, quae per Sforcias collata in eam sedem
 erant, simulque recurrente memoria fidelium sibi illic
 hominum, quorum sermonibus & consilijs plurimum
 vti consuesset, conuersa ter facie respexisse eò; idque
 signum aegerime digredientis retulere qui simul
 ibant. Retulere insuper iisdem trepidarum illarum,
 profectio- num comites, cum ex Monasterio digrederetur,
 religiosos illos homines exisse vnà lacrimantes
 vbertim; quae tam humilia & minuta reticenda non
 putauit, vt Principis huius in tali tempore perturbatio
 animi, & Sanctissimi Ordinis in eum caritas cognosceretur.
 Noctem, quae infecuta est, in Arcis mole
 inquietam egit: postero die in viam sese dedit, Nouo-
 comum, sicut antea destinauerat, iturus. In campo,
 qui subiectus est, quae ab altera parte praecipit arci,
 stabant turmae cohortesque deducturae fugitium
 Principem, ad tria fere hominum armatorum millia,
 qui deinde numerus, dilabentibus quotidie multis, ad
 quingentos paulatim est redactus, tantaque cohors
 cum eo in Germaniam peruenit. Vix ille suburbano
 agro excesserat, cum pauci Gallicae factionis homi-
 nes, Ducis nomen crebris acclamationibus transtule-
 re illuc; & dubitauere Nouocomenses, clauderentne
 venienti portas, an aperirent. Ibi quoque adiutus est

Ecclesiae

Ecclesiae studijs, quae semper in omni Catholica Ciuitate Christianoque populo maxima & potentissima pars rerum, sicuti Mediolani Sforciarum nomen extulerat auctoritate beneficijsque suis, ita in paruam etiam illam Urbem porrecto erga familiam eandem fauore, inclinauit ad profugum hunc accipiendam animos. Episcopi aedes hospitio fuere: illuc euocati Decuriones Urbis fidem suam in omnes rerum euentus obligauere Ludouico; ipseque profectiois suae causas explicauit, vt cedere potius quam fugere videretur. Dum ibi colloquijs & sacramentis teritur tempus, iam Galli successerant ad moenia Urbis Mediolani, totisque suburbijs praedabantur impetu ac furore, quem secū afferret ea gens etiam si nō licentia belli accenderetur. Quicquid sacri fuit extra moenia, prima illa irruptione agebatur inter ceteram praedā, eumque nuntium Andreas Ecclesia Sancti Laurentij Canonicus tremens pauensq; ad Principem attulerat. Is Canonicus, cū afferre se diceret quae ad Principis salutem magnopere pertinerent, introductus exposuit quidem audientibus etiam alijs captiuitatem haud dubiam Urbis, & instantem moenibus hostem; sed petito dein secreto, grauius atrociusque quiddam indicauit, vnde Ludouico vltimus horror, & confitendi vsquam finis. Ostenderat enim docueratque Canonicus, compositum esse quendam ordinem insidiarum, vt Nouocomi comprehensus retentusque Sforcia Gallo traderetur ducendus in triumphum; agenda rei tempus, proditoresque domesticos, pa-

ratas

Vuuu

ratas

ratas operas, ad futurum his in tempore subsidium, caput auctoremque negotij, & momenta omnia indicarat. Ea cum ipse comperisset, facere non potuisse, quominus deferret cuncta cum cura & fide, sicuti debitum tam benemerenti Principi officium postularet. Caeterum, quia rem tantam necessario officio additus aperuerit, scire se, quanto suo cum periculo id fecerit, nisi per principem adhibita sit quaedam ars & diligentia, ut aliunde potius id mansisset indicium, etiam apud proximos increbescat. Plena omnia esse proditorum & speculatorum, qui accedentes exeuntesque diligentissime obseruent, ipsosque certis inter se nutibus, ac significationibus, & ministris communicare quicquid suspicentur fieri vel cogitari, ita ut temporis fere momento rem eandem omnes sciant. Ad haec ipsa, Canonicus consilium quoque suum adiecit; ut nimirum, quoniam sciri non posset, quid sinceri & fidi, quidue secus esset in extorre illa & nutus iam alienos respiciente aula, discederet occultus, falleretque discedendo fidissimos etiam, quo tutior ad ceteros fallacia esset. His auditis, Sforcia, quamquam magnopere intus aestuaret, quietus ac securus in frontem, reliquum diei consumpsit agendo quae instituerat, praetulitque quandam eiusmodi speciem, tamquam in singula momenta fieret captantibus opportunior; ac nihilominus circumspicere quantum poterat omnia, ne interim caperetur. Appetente vespera, cum per eandem imaginem securitatis, velut animi gratia ad naues descendisset, conscensa repetere praetoria,

praetoria, cuius neque militi, neque remigi diffidebat, inuuit, ut quam celerrime & vehementissime nauigium concitarent. Ac Princeps quidem elaso in hunc modum & turbato insidiarum, quae sibi parabatur, ordine, per medium lacum ventis & remis ferebatur. Reliquae verò naues, aliae statim, aliae spatio interiecto sequebantur, partim integra fide, & nesciae quænam subita res incidisset, partim attonitâ perfidiâ, & inter se suspectae, quia detectam esse rem apparebat. Ita Ludouicus Belasium appulit, feliciter, ut in malis, vitato ludibrio, conseruataque libertate cum Imperium amisisset. Eò Cardinalis Alcanius, duoque Cardinales alij, quod erat Ludouico intimum consiliorum, antecesserant, vna cum paruis liberis educatoribusque eorum, & magistris, nobilium fere manu, & inerant praecipui quidam è Clero, quos ab vitae literarumque commendatione Princeps in eam curam asciuerat. Illic igitur fretus praesidio & auctoritate trium Cardinalium, idque nomen pro maximo munimento existimans; simul cingentibus latera proceribus urbis, qui Cardinales & liberos affectati, extra perfidiæ suspicionem erant, dicitur velut ex magna defatigatione respirasse paulisper, diraque captiuitatis imagine attonitum animum collegisse. Ingressus deinde mixtam quandam ex indignatione simul & metu orationem, blandimenta, minasque & preces iaciebat. Comites exsilij sui, prosperarum aduersarumque rerum locios, carissima sibi capita, & partem optimam ciuitatis, & firmamenta imperij

Vuuu 2 appcl

appellauit promiscue omnes, qui adessent vnâ & se-
 querentur. Nulla posse tam benemeritis ciuibus sa-
 tis digna praemia reperiri; sed praemiorum omnium
 instar fore memorem semper animum, & gratissimâ
 erga tales amicos voluntatem, qui fide ac pietate er-
 ga se ipsum, abrumperere sese ab ipsa patria maluerint,
 omnemque subire fortunam, quàm expectare domi
 necessitatem eam, vt infidos socios, barbarum hostem
 intra moenia vrbs admittere cogerentur. Enimvero
 fortium virorum, & honestissimi comitatus vniuersi
 meritum id, gloriamque esse, quam tamen pauci de-
 decorarent, specie quidem & corpore sequentes prin-
 cipem, animis verò spectantes Gallica arma & fauore
 hostium imbuti. Neque tamen hos ipsos peccare
 perfidiâ, sed errore quodam humano, propterea quod
 praesenti rerum motu perterriti, ad partem inclinent
 eam, in quam vergere cuncta videantur. Sed scirent,
 exitum fore Gallo dispari longe ab ea specie, quae
 caliginem nunc ipsis offundat, & spes vanas, terroresq;
 falsos repraesentet. Se quidem in praesentia cedere
 temporis, quae non vltima pars Imperatoriae pruden-
 tiae semper habita sit, quodue summi principum & re-
 gum non sine laude factitarint, quoties fortuna cõtra
 daret; & illam tantopere laudatam antiquitatem ple-
 nam eiusmodi exemplis esse. Caeterum, & hostes
 ipsos, & si qui deprauati sint ab hostibus, breui esse
 intellecturos, quantum intersit inter initia bellorum
 & finem, qui primorum euentuum laetitiam saepe fu-
 nestam inanemue fecerit. Ire se ad Maximilianum
 Caesarem

Caesarem tam arcto vinculo connexum sibi quam
 omneis scirent. Superesse studia populi Clerique, &
 urbem adhuc, & arcem, & tanti exercitus robur.
 Concitatum externa arma, si domesticae vires, si au-
 zilia proximorum labarent. Esse in domo stirpem
 egregiam liberorum, esse fratrem Ascanium praeditu-
 ca dignitate, quam Reges ipsi sociam & aequalem
 suae Maiestatis admittant; esse munimenta alia, quae
 Sforciatum generi ac nomini duraturam in saecula
 successorem promittant; & quantulum profectum
 fore hosti, si tollatur ipse vel cadat? Talia fere Lu-
 douicus ad familiares ducesque suos egerat, agno-
 scentibus plerisque artem, qua res suas profligatas
 attollere erat conatus; pauci spem vllam de ipso bo-
 nam habebant, laetiue quicquam ominabantur.
 Cum Ascanio Cardinale sermo tristior fuit. Roga-
 uerat ille primo statim congressu, quam curam tuen-
 dae arci, quodue praesidium frater adhibuisset? Vbi
 est à Ludouico responsum, Arcis custodiam creditam
 esse Curio fide homini & probò; tunc Cardinalis As-
 canius, vatis in modum; nos verò euoluti sumus (inquit)
 „omni iure ac possessione Mediolanensis Imperij, iamque
 „cuncta in Gallum cessere. Haec ad Belasium astra-
 dictaque erant. Ab Belasio, enauigato lacu, magnis
 itineribus, quanta per confragosa & aspera loca po-
 tuit adhiberi festinatio, Oenipontem peruenere; atque
 interim alij super alios nuntij perditarum rerum as-
 sequebantur agmen, vaticiniumque Cardinalis, exitum
 comprobatum in ore omnium erat. Oeniponte
 Maxi-

Maxi-

Maximilianus Caesar moerentem afflictumq; Sfor-
ciam erexit, cum caetera omnibenignitate, tum hi-
lare ac large pollicendo, fore quamprimum ut in for-
tunae suae sedem ipso adnidente restitueretur. Ita
Ludouicus ab magnae fortunae culmine lapsus ad
ima, rursus excitabatur, spemque inter miserias in-
gentem voluebat; & quia non satis impigre pro at-
tore iraque sua moueri Caesarem videret, rem aggre-
ditur, futuram horrore omnibus, qui Mediolanensi
Ecclesiae nominiq; Ambrosiano eam impositam esse
labem cognoscent. Ausus namque est Turcarum in
Italiam vocare arma, quale flagitium in tanta collu-
uione ac varietate dominantium non viderat Eccle-
sia, quae secundas in principatu Catholicae religionis
partes, & fundatorem Apostolum, sobolemque per
tantum acui Parente dignam praefert'. Referam
tristissimi negotij seriem & ordinem, ut huius etiam
abominandae rei memoriam praesenti felicitati tem-
porum haec nostra cura repraesentet. Postquam
Sforcia lentam Caesaris opem, auxiliumque pertae-
sus, stimulante cupidine recuperandi imperij, in Gal-
lum iram, in paruos liberos misericordiam, metuque in-
fidiarum, & pudore tam deformis fortunae nullum
quietis locum inueniebat, vertit animum ad consiliu
illud infelix, uti barbarum exciret in Italiam, & Ma-
hometana vexilla ferret in Gallos, qui ipsi auxilio
vocati eiecerant socium. Haec ubi taetra sententia
stetit animo, Mediolanenses homines duos elegit, in
quibus & fidei plurimum habebat, & satis esse calli-
ditatis

»ditatis audaciaeque rebatur, quantum scilicet barbaram
 »ricam terram aulamque adituris esse oporteret. Hos
 »onerat promissis, & ubi assensere, mandatis instruit,
 »legatioque ea Catholici hominis ad Turcam nonis
 »Noembris iuit. Legati, Ambrosius Mendax, &
 »Martinus Casalis fuere, tamque iusta fors fuit ad cu-
 »stodiendam indignissimi facinoris memoriam, ut li-
 »terae ipsae sint reperrae, queis Princeps ipse duobus
 »illis Ambrosio & Martino scripta mandata formamque
 »legationis obeundae edidit in hunc modum. Martine
 »& Ambrosi, quos nobis ad Turcarum Imperatorem
 »legamus. Prudentia vtriusque vestrum, & magnis
 »rebus perspecta erga nos fides ac benevolentia sin-
 »gularis facit ut arbitrio potius vestro relinquamus ea,
 »quae ad rem istam commode administrandam per-
 »tinere visa erunt, quam ut auctoritate iussuque nostro
 »complecti ac definire singula velimus. Dedimus
 »vobis literas ad Turcarum Imperatorem ut fides le-
 »gationi sit, itemque nostra manu subsignata pura fo-
 »lia octo. His utemini, prout dies tempusque, & ratio
 »rerum monebit. Quae autem exponi agique no-
 »stro nomine apud Turcam velimus, haec sunt, &
 »ea ipsa iudicio prudentiaque vestra moderabimini.
 »Primum omnium, si ita visum erit, impetrato aditu
 »reddetis Principi literas, ut legatos vos esse nostros
 »sciat, fidemque vobis habeat omnium rerum. Deim
 »perfuncti primae salutationis officio, demonstrabitis,
 »pulsos nos Imperio sedeque nostra, non alibi, quam in
 »Turcico fastigio spem habuisse collocatam, ad cuius
 Imperij

2, Imperij magnitudinem spectet, ne qua injuria
 2, minoribus fiat. Cetera deinde, vel statim, vel spatio
 2, interiecto, vel coram, vel per Baxas Portae proceres
 2, exponetis; causas nempe belli, Gallorum & Veneti
 2, Senatus impotentem cupidinem, qui appetant Italiae
 2, dominatum, vt si prima processerint, ad reliqua tran-
 2, sgreantur, & nomini quoque Mahometano terri-
 2, biles fiant. Galliae Regem imminentem vrbi Genuae
 2, vt marc illud in potestate haberet, postquam per con-
 2, ditiones assequi nihil potuerit, hostem ex amico re-
 2, pente factum iuisse ad arma: Venetos eodem cōsilio
 2, quo Gallus moueretur, tentasse Pilatum urbem ob
 2, maritimas item opportunitates, & quia Mediolanen-
 2, sibus armis ea spe fuerint deiecti, in nostram perni-
 2, ciam conjurasse cum Gallo. Pontificem verò Ro-
 2, manum, à quo reconciliari discordes oportuerat,
 2, praeuuisse potius alimenta igni, & adiutorem fuisse
 2, conjuratis; aliosque Italiae Principes in nos esse ar-
 2, matos obeam causam, quia armantibus se contra
 2, Mahometanum Imperium obstiterimus. Haec om-
 2, nia Turcarum Imperatori, si vobis ita visum erit, ex-
 2, ponetis Ambrosi & Martine, prout res ipsa, vel reti-
 2, cendi vel addendi aliquid, consilia vobis subijciet. Ac
 2, ne indigna Turcico auxilio videatur calamitas no-
 2, stra, si forè illic existimati erimus arcuisse segniter
 2, hostem, & aperta immunitaque omnia prodidisse
 2, venientis; narrate poteritis quos vidistis etiam ipsi no-
 2, stros ad omnia defendenda conatus, munimenta q;
 2, & praesidia, & quicquid aliud aduersus hostilem im-
 2, petum

» petum compararet faceretur quilibet prouidentissi-
» mus imperator. Sed ita tulisse casum infestum, &
» facuissim belli procellam, vt, cum ab pluribus simul
» partibus instaret ingrueretque hostis, qua potissi-
» mum parte irrupturus esset, nec ciretur, nec ad omnia
» itinera aditusque sufficeret miles. Auxilia, quae
» promissa erant, in tempore venire non potuisse cum
» Caesar Heluetico bello implicitus teneretur; Floré-
» tinos Pisana res distineret. Classem verò, quam ab
» Genua in sinum Hadriaticum mittere destinaramus,
» vt aduersus communes hostes cum Turcica classe
» coniungeretur, non tanta celeritate potuisse adorna-
» ri, quin celerius ipsi abire cogeremur & vnà cum
» Imperij tuendi apparatu, imperium quoque ipsum
» omittere. Duas vtique res fuisse, in quibus aliquid
» spei collocatum haberemus; alteram, si Mahometa-
» na arma ita vrgerent Venetos, vt respectu rerum sua-
» rum ab Gallico foedere abstraherentur; alteram, si
» Caesar, facta cum Heluetijs pace mittere nobis co-
» piarum aliquid posset. Vtramque spem impetu ac
» celeritate hostium fuisse delusam, propterea quod
» prouisu ac metu talium auxiliorum stimulati illi ni-
» hil reliqui fecerint vt expectationem illam nostram
» anteirent opprimerentque. Poteritis quoque de-
» monstrare, quemadmodum, oppresso in Prouinciaz
» sinibus praesidio, acciderit hoc, vt repentina con-
» sternatio praesidia cetera exercitumque vniuersum
» inuaderet, ac sicut in bellis accidere consuevit, parua
» illa res labefaceret cuncta & profligaret. Nos, cum
» Xxxxx exiguas

» exiguas infirmasque copias haberemus, cumque
 » urbium nostrarum alias expugnasset iam hostis, alias
 » oppugnaret; nec tantam duorum coniunctorum
 » exercituum sustinere posse multitudinem videre.
 » mur, abeundi consilium cepisse, scilicet, ne manen-
 » do & cunctando, ludibrium fortasse dedecusque ali-
 » quod contraheremus, qualia exempla in potentissi-
 » mos etiam Reges aliquando fortuna belli edidit.
 » Arcem Mediolani fuisse validissimam vnam, quae si
 » salua maneret, irrita omnia faceret hosti, & nequie-
 » quam cum Veneto Senatu Rex Galliae conspira-
 » set. Instructissimam hanc omnibus rebus in discessu
 » nostro iuendam dedisse homini, quem nobis ob be-
 » neficia fidissimum esse omnium arbitraremur. Ab
 » eo nos homine proditos esse vna cum Arce, manci-
 » pijque fraudem vnius, non virtutem fuisse Gallorum,
 » quae Gentem imbellem in Imperij nostri sede collo-
 » carit. Vbi Rex Galliae, coniuratorum ope, solitu-
 » dine nostra, proditione Praefecti, Mediolani fixerit
 » pedem, statim concursus ingentes ad eum esse factos
 » omnium, qui Turcicae maiestatis hostem atque ae-
 » mulum hunc valescere cuperent; ceteros inhorruis-
 » se successu illo, palamque nouum Imperium auerla-
 » ti; voces audiri passim faustas in nomen familiam-
 » que nostram; paratos cerni omnes in quemcunque
 » motum spes aliqua obiecta nostri reditus postularit.
 » Nunc ipsum Galliae Regem abisse domum eo con-
 » silio, ut primo quoque tempore reuertatur in Italia,
 » quam sibi spe vana desponderit vniuersam cum va-
 » niore

»niore illo voto, vt Constantinopolim usque victor
»eat. Nobis ad recuperãdi Imperij spem haec ades-
»se; Vacuum iam pace Heluetica Caesarem, Floren-
»tinos item ab re Pisana iam solutiores; studia popu-
»lorum erga nos; par odium in Gallos, famamque
»commuam aduersam Genti; & nos ipsos, si quis
»adiutor existat, nec segnes ad pericula, nec infelices,
»quamuis hostibus adhuc proditoribusque nostris
»plus adfuisse felicitatis videri possit. Haec ipsa post-
»quam Othomano demonstraeritis, vel coram, vt
»dictum est, vel per ipsius intimos amicos, vel am-
»plificata, vel diminuta prudentiae vestrae consilijs,
»& praesentium rerum admonitu, vel denique om-
»nia simul, vel iteratis alloquijs: tunc Ambrosi & Mar-
»tine, rem suppliciter à Principe petetis ipsam, cuius
»rei causa mittimus vos & legamus. Petetis autem,
»vt acriter exercere bello Venetos velit, nec mari so-
»lùm, sed etiã circa vrbes, quas in continente habent,
»mittendo copias in Italiam & iustum ab hac parte
»bellum inferendo. Quod quidem vltro ipse factu-
»rus fuerat, atq; etiam eius rei promissa ferentem le-
»gatum miserat; sed celeritate opus est, idque ipsum
»non sine accuratissima gratiarum actione propter tã
»enixam erga nos voluntatem, exponetis. Si celeri-
»ter adiuti erimus, & Turcica ope recuperauerimus
»Imperium; opes nostras omnes animumq; & fortu-
»nam, & florentissimam illam Italiae partem, Urbem-
»que Genuam & mare Ligusticum fore instrumenta
»rerum earum, quas ad sempiternam Othomani no-
»minis

» minis gloriam excelsus illius animus molitur. Sin-
 » autē respōsum erit vobis, ipsiue suspicabimini, mal-
 » le Turcarum Imperatorem, pacem habere cum Ve-
 » neto Senatu, quàm bellum gerere, atq; inclinatos in
 » eam partem animos videritis; tunc Ambrosii & Mar-
 » tine, mutata negotiatione, curam precesque conuer-
 » teris eò, vt ne pax aliâ fiat conditione, quàm restitutâ
 » nobis per Senatum eum Cremonâ, castellisque &
 » locis alijs, quae bello hoc capta de nobis habent.
 » Agetis item & petetis, vt inter pacis eius conditio-
 » nes excipiatur, ne Veneti cum Galliae Rege quicquâ
 » agant, neue foedere aduersus nos inito teneantur in
 » posterum, neue arma in nos ferant. Si dabit haec
 » annueritq; Princeps, vos verò, nō pollicebimini pra-
 » terea quicquam, & omni vitata rerum aliarum mē-
 » tionē, toti eritis in eo, vt certissimam fidem auferatis
 » fore ita omnia, sicuti petita promissaque erunt. Sin-
 » eritis de re aliqua compellati, quâ rem à nobis pra-
 » stari nominatim Othomanus petat; cauerote, ne cer-
 » ti quicquam ac definiti nostro nomine promittatis,
 » atque hoc vtemini verbo; quandocunque restituti in-
 » Imperium simus, facturos omnia quae velit, & ipsius
 » fore arbitrij domum, ac fortunam, & vitam, quam
 » ipse nobis dederit. Pecuniae summa siqua petita erit
 » ita vt nulla declinatio necessitatis eius relinquatur;
 » vos quidem videbitis, vt ea summa quantum fieri
 » poterit, circumscribatur atque coarctetur, ceterum,
 » neque pecunia, neque quicquam aliud, tanti erit, vt
 » aliqua sequatur animorum offensio, siue alienatio,
 » quae

» quae negotium hoc, & spes nostras inchoatas abrú-
» pat turbetue. Cum his igitur mandatis Ambrosi
» & Martine proficiscemini, mandataque ipsa, & vni-
» uersae legationis ordinem praesentium rerum facies
» & forma gubernabit. Nos porrò legatos alios alia
» via duos mittemus, vt si quid vobis in itinere accide-
» rit, quominus expedito cursu peruenire possitis in
» Aulam, res nostra propter eiusmodi casum, detri-
» menti nihil patiat. Quòd si vtraque legatio feli-
» citer ierit, id ipsum afferetis ad demonstrandum, quã-
» topere cordi nobis fuerit, vt ad Principem postulata
» nostra perferrentur, & quantam in ea re spem positã
» habuerimus. Vtri priores in Regiam veneritis, fun-
» gemini legationis officio, prout hominum illorum,
» Aulaeque, & Principis, & rerum habitum formamque
» repereritis. Qui posteriores aderunt, hac se nota &
» tessera praebent prioribus agnoscèdos, si familiae
» nostrae nomen in primo congressu ter enuntiarint;
» eaque inter vos arcana significatio erit, ne qua fortè
» fraus fiat, neue ad consilia nostra excipienda & co-
» gnoscenda, legati nomen e mentibus aliquis se se vo-
» bis immiscere ausit. Legatione peracta, impetratit-
» que suppetijs, & quoquomodo ad causam adiuncto
» Turcarum Imperatore, rem inter vos ita compara-
» bitis atque partiemini. Excurret statim è vestro nu-
» mero vnus ad nos in Germaniam, siue in quem aliũ
» locum delati erimus. Remanebit alius in Regia, ni-
» mirum ad continenda illic & fouenda studia, quae
» conciliata erunt, ne vaneſcant aut immutentur, neue

res ipsa differatur, quod perinde esset ac si nihil foret
 impetratum. Placet autem, huic diligentiae & cu-
 rae praeesse potissimum alterum e vobis Ambrosi &
 Martine, scribentem subinde ad nos ea, quae dies fe-
 rer. Tertius verò aliquis ire cum terrestribus copijs
 debet, & affectari eas ab Constantinopoli per totū
 iter, isque de itineris progressu certiores nos faciet
 per literas & nuntios quoties dādi & mittendi facul-
 tas erit. Epistolae porrò omneis, quae, vel ex aula,
 vel ex itinere mittentur ad nos, erunt scriptae notis
 occultis, ne, si fuerint interceptae, spes simul omnis
 nostra intercepta perierit. Dona Principi, praeter
 quae misimus iam, vellemus quidem adhuc mittere,
 daremusque vobis perferenda pro maiestate ipsius,
 & magnificentia nostrā; sed praesentis fortunae con-
 ditione impedimur; atque hac ipsa excusatione ut-
 mini etiam apud Purpuratos, fidemque dabit, fore,
 ut recuperato imperio, singuli colantur donis, quae
 digna ipsorum fastigio, & magnis erga nos meritis
 erunt. Nec praesentis tantummodo magnificentiae
 daturi sumus dona; sed aliquot etiam millia num-
 mū aureorum, si nonnullis eorum in singulos an-
 nos nostro nomine promittenda esse duxerint, pa-
 rum promissumque id ratum habebimus, annuaque
 tributa in Regiam mittemus. Hisce monitis & man-
 datis, Ludouicus Sforzia, patto per scelus imperio su-
 perstes & extorris Turcicam illam legationem in-
 struebat, in expiabile flagitium admittens erga Urbē
 Ecclesiamque Mediolanensem hanc, quae tot perpes-
 sa

sa saeva ac irreligiosae dominationis calamitates, nihil tale viderat aut meminerat. Exciri Mahometem in Regna Catholicae Religionis ab Mediolani Duce? Adulationes, & preces, & munera, & tributa obsequiumque infimum vltro versa in communem hostem? iteratasque legationes hinc in barbaram terram, in falsi Prophetæ spurca domicilia, quò Christiani Principes antea iunctis exercitibus ibant, ut depellerent humani generis monstrum & labem? At quo tanto pretio suscepimus hanc labem, quid docuit confidere monstro? vetus, atque iam pridem insita mortalium animis superbia, quae infatuat animos, ut in hac humanae vitae scena eminere supra alios velint, atque ad ludicrum illud & inane fastigium etiam per scelera enitantur. Viderat vrbs Mediolanum, atque haec Ambrosiana sedes, pertuleratque violenta tyrannorum ingenia, & armatas in Ecclesiam sectas Haereticorum, obsessa Tempia, quae sitos ad necem Archiepiscopos, & quicquid aliud in principatu impio, funestum, atrox, dirum accidere potest huic sacrae & Apostolicae potestati. Etiam legitimi iustique, sed regnandi artibus importuni principes attulere luctum Ecclesiae Mediolanensi, & sicut gloriosi ac laeti plerique dies, ita infelices plurimi per omne tempus fuerunt. Nullum tamen arbor acerbum magis ac triste tempus incidisse, quam ubi solita regionum arcanorum vanitate, per furos primò, deinde apertiùs paullo & liberiùs, postremò palam & publicè fama haec manavit; fugitiuum.

nam Principem mittere legationes ad Turcam, & Mahometanæ Aulæ stipendiarium esse factum. Scilicet quid deinde futurum, si felicissime caderet res, annueretque postulatis barbarus? feros auxiliares, truculentos socios, impia signa, rapacium copiarum ductores inhumanos, et vno verbo, Turcarum genus per eiusmodi legationes in Italiam acciri; quæ colluies acerbiorum omni clade victoriâ datura esset, etiam si res tam incerta, pro explorata iam & præfenti haberetur. Vincere talibus auxilijs, an vinci, calamitosius foret, explicari non posse. Nam utram in partem Mars anceps belli exitum inclinaret, prædæ ac direptioni barbaris Italiam fore. Quid si Mahometanus hoc patefacto aditu figere in Italia pedem destinareret? quantum id dedecus ciuitatis, unde causa, et initium huic malo? Nusquam esse gratuita tyrannorum, ac ne Regum quidem auxilia, mercedemque illâ, quæ persoluitur autò vel argento, nisi magnitudine summae inter instrumenta bellica destinetur, speciem tantummodo ac titulum esse, consilijs intimis maiora semper & diuersa quædam spectari. Hi ciuium sermones, querelæque & curæ erant, postquam missam esse legationem rescivere. Ceterum, ne Ludouico quidem ipsi liber à religione animus erat; idque facile apparet in extrema literarum earumdem clausula per quas mandata legatis dabat. Cùm enim antea posuisset, dari literas ad Turcam, ut esset fides auctoritasque legationi, subitâ poenitentia mutatum id reperitur: pro literis eiusmodi

eiusmodi, pura folia se daturum ait, adscripto nomine signoque impresso; his, prout occasio ferret, vicerentur. Scilicet, horror animum subierat, pudorq; tanti dedecoris, idque diuerticulum excogitabat. An vero, inter tantas fortunae minas, trepidus, anhelusque & confusus, dum eas literas dictaret, scriberetue, excogitabat primò aliquid, deinde damnabat, atque hinc illa varietas & inconstantia potuit oriri. Sed non minus miseranda facies in iisdem expressis literis cernitur egestatis, quae Regnatorem tot nuper opulentissimarum urbium circumstaret, quamuis alioqui, largus promissis, annua tributa Mahometano polliceretur. Nam in attribuendo assignandoque sumptu legatis, qui tam longum iter, aulamque tam opulentam simul & auaram, cum tantis promissis, de re tanta adirent, quingenti omnino aurei nummi per scripti pronuntiatique extant, quantam hodie summam, semilixa, vel scriba paullo callidior, ex tam longinqua legatione sese abliguriturum speraret. Nos, dum hanc Ludouici Sforciae fugam, causaq; & initia calamitatis, iniuriam calamitatemq; alienam, deiectum Imperio iustum heredem, venena in fratris filium, quae uetragicum hunc dominatum antecessere, quae uesecuta sunt, exsequeremur; honestiora Pontificum negotia seposita hinc habuimus, ne contagione eiusmodi rerum inquinarentur, neue, si secus fieret, alterutra pars, haud perinde ad sui memoriam valeret. Stephani Nardini Pontificatum exceperat vir omni pontificia laude minime dispar, literis etiam, &

Y y y y familiae

familiae splendore clarior; iamque non integre solum
& sancte, sed magnifice & splendide per tales viros,
quantum conditio temporum eorum sinebat, Ecclesia
Mediolanensis administrabatur. Nomen successori
Ioannes: origo ex Arcimbolda Gente, quae multa
pacis decora tulerat etiam priore aevo, unde ad nepo-
tes gloria, & studium aemulandi, idque rursus nouae
gloriae alimentum, & ad posteros alios cura, vestigia
maiorum sequendi, magnaue hinc per Ecclesiasticos
Annales, Arcimboldorum claritudo. Ioannes ab
adolescencia ius ciuile didicit, non sicuti pleraque no-
bilitas solet, Academiae titulum ad licentiam luxum,
que referendo, sed ex licentia luxuq; iuuenili assumē-
do id tantum, quo modestiae nomen graue inter la-
sciuentes temperaret. Ne studia quidem ad commu-
nem illam formam fuere, quae syllabarum aucupes,
praeconesque formularum ipso, iuris prudentiae no-
mine indignos gignit alitque. Paullus, & Scaeuola,
ceterique disciplinae eius antistites & conditores in
manibus erant iuueni, sicuti quidem inter gregales
manauit primò fama, deinde etiam in Historiam ve-
nit. Traditum ita scriptumque est; praeter ipsos ci-
uilibus prudentiae fontes, quos penitus animo com-
prehensos haberet, omnis veteris memoriae notitiā,
quae nostris, quaeue Graecorum literis contineretur,
adfuisse ipsi; neque hanc absque delectu, cum, & in
tanta Chronographorum turba politissimum quem-
que rerum gestarum explicatorem & in rebus ipsis,
magnorum praesertim Imperatorum, Senatorumue
facta

facta & dicta, conuersiones Imperiorum, illustrium virorum exitus, & maximorum motuum minimas causas, aliaque digna Principe viro sequeretur. Etiam retulere conscij studiorum huius Arcimbaldi, curam oblectamentumque fuisse ei, cognoscere principum sui temporis consilia & vires, & ipsorum inter se dissidia, & quicquid occultius pararent. Colloquendo cum peritis, & opportune mutando sedem studiorum, & multorum vndique literas curiose lectitando, id assequabatur. Exactis per haec studia compluribus annis, varicque peregrinatus Arcimbaldus, cum domum reuenisset, facile de eo fama peruenit in aulam, & magnis statim Imperij muneribus admouetur. Senator primò, deinde Quaestorum Praefes, tum Consiliarius intimus, postea legatus, Florentiam, Venetias, in Galliam, in Germaniam, Romam iuit super jis rebus, quae tunc Sforciarum domum ac fortunam cum Rege, cum Caesare, cum Pontifice maximo, cum viroque Senatu implicitam tenebant. Romae cum ageret apud Sistum i v. captus admiratione viri Pontifex ille Cardinalem creat, primò quidem Sanctorum Achillis & Nerei, deinde verò Sanctae Praxedis; ea sunt quasi cognomen Patrum; Romana consuetudo Titulos appellat. Ferunt admodum aegre tulisse Sforciam, quod vir sibi talis ereptus foret. Ereptum namque interpretabatur, quem sacer honos supra suum ipsius fastigium extulisset. Et rarum est, vt Principes Regesue talia suorum incrementa rectis oculis adspiciant, nisi cum ipsi aucto-

res extitere. Speciem tamen vultumque gratulantis induit, vel quia dignitas ea adulari iam cogebat, vel quia, tam spectatae virtuti proximus ad summum rerum humanarum apicem esse gradus videbatur. Forasse etiam recordatio meritorum, & tantis experta rebus fides, subitos illos animi motus, quos in omnibus negotijs, malitia principum ciet, ad sincerum verumque gaudium mutarant. Novus Cardinalis, ea statim opinione sui commouerat omnium animos, ut Perusum & Umbria eicum Imperio traderentur, quae prouinciae, potentiorum inter se inimicitijs, quotidianisque caedibus prope versae in latrocinium ac rebellionem erant; nec Pontifici Maximo, nec hominibus eius in ea parte magnopere obediebatur. Fuerant quin etiam interfecti nonnulli ex Pontificijs illis ministris inter exercendae quaestionis apparatus, siue dumprehendere quempiam tentarent, siue dum mandata alia exsequerentur. Et satis constabat, in ea fuisse consilia in prioris legati caput, imbutosque sicarios inimicorum suorum sanguine, sacram etiam illam potestatem, veluti sicarium inimicumque vnum destinasse caedi, nisi paratas insidias viroque imminetent, cautior ad fugam solertia Praesidis cuitasset. Referam inhumanum & horribile dictu, quod in ea Prouincia ante Arcimbaldi aduentu, leue quotidianumque habebatur. Hereditaria illa odia praepotentum prouincialium, ac minus etiam potentum, sed crudelitate insigni, ardentibus ad vindictae dulcedinem ingenijs, eo excedebant, ut tota

tac

tae domus interneccione delerentur; nec ante con-
quiescebant, quàm ex inimica stirpe, quicquid etiam
sexu, vel aetate inualidum, delessent ferro. Alliserat
aliquis ad parietem paruos liberos hominis inimici,
gravidamq; coniugem obruncarat, & quomodo
rostra vngue ferarum, ostentatione venatoria po-
stibus affiguntur, ita stirpis inuisae reliquum vnnum
infantem rabies eadem ad fores confixerat. Atque
palmaria haec demum, gloriosaeque inter illos sae-
uitiae facinora erant: cruenta verò illa officina calc-
bat assidue feruebatque, vel mandati semper in ali-
cuius caput, vel conducendarum operarum, vel insi-
dias struendi. Haec disciplina iuuenum erat, per-
seuerabant senes, cum successor simul & victor electus.
Arcimboldus ita coercuit gentem, vt nobile exem-
plum statueret etiam in posterum ad ceteros, si quos
fortè similis intestinus furor aliquando lacerare coe-
pisset. Namque, priusquam in Prouinciam iret, dili-
gentissime firmavit arces & castella praesidijs, immil-
toque solutis ordinibus milite, mox ipse subsecutus
cum validis equitum turmis, sanguinarios illos homi-
nes repentino terrore confudit. Truculenti aliàs, &
diri trepidabant ad spectu Cardinalis, quem & gra-
tiae imperuium anteceds fama nuntiarat, & vndi-
que armatum videbant. Sed nihil magis exterrue-
rat, quàm quòd, dissimulatione mira, sine strepitu vl-
lo firmatae arces, sparsique per prouinciam manipu-
li essent, & communi omnes metu perculi, factionu,
& certaminum, inimicitiarumque prope iam obliui-
scebantur.

scebantur.

sciebantur . Postquam ea caligo animis offusa est, nihil quidem ab legato mouebatur, vnde coniectura aliqua posset oriri, quidnam ille acturus esset; appositum tamen speculatores & homines idonei passim obseruabant quicquid partium duces agerent ac mouerent; colloctiones atque congressus nocturni siue diurni, commercia traiectionisque pecuniarum, consilia denique omnia referebantur in Aulam . Simul erant ad opportuna loca dispositae stationes armatorum, ne elaberentur aliqui, quos & fugam meditari compertum erat, & comprehendi, retinerique domi tutius habebatur . Quà versi in latrocinium globi aliquot, ad extremos prouinciae fines constiterant, globis erat maioribus imperatum, vt regione vagarentur eadem; simul admoniti praesidiorum & arcium praefecti, vt quà cuique proximum esset, cum suis in eos excurrerent; edictumque statim; qui exul, quiue capite damnatus, exulem alium interfecisset, is vt impunitatem haberet omnium, quae commisisset antea, tutoque ac libere in patria commoraretur . Hac indagine Cardinalis legatusque Arcimboldus, cum Prouinciales illos ex caede viuentes cinxisset, vulgoque existimarent, satis fore ei, si quietam haberet Prouinciam, ac nullum nouum in eius imperio flagitium admitteretur, ipse quidem, tamquam praesenti tranquillitate ac modestia pacisque contentus aliquantisper quiescebat . Mox, sopita omnium fere expectatione, paucos insignes duces factionum, & scelerum capita, quos euadere nolebat, ne absentes
etiam

etiam Prouinciæ statum sollicitarent, vnius horæ momento omnes, vnaque nocturna satellitum & militum impressione circumscriptos, in latumias & castella seorsim misit; iacebantque ibi per dies aliquot inuicem ignari captiuitatis alienæ, ac se tantummodo quisque esse captum arbitrabatur. Ita comprehensis vinctisque flagitiorum & saeuitiae proceribus, ceteri, queis exsilium sine publica noxa vel periculo perniciem egestatemque vltimam afferret, & edictis literisque quotidianis, & misso viatore, & denuntiatione poenarum citabantur. Patuit his fuga; cumque caput & vitam quisque suam fortunis omnibus anteferet, abiire sic multi cum vanis fugiendi arribus, nec sine vaniore lætitia quod Magistratum elusissent: Legati erat artificium, vt sine carnifice, & securi purgaret Prouinciam, nec locus interea relinquebatur infami ac vulgatæ in multos principes querelæ; crimina reosque conquiri, vt aerarium augeretur. Aufugiebant enim vltro, & capita deuota poenis vltimis, voluntaria fortunarum amissione redimebant. Seruitia, quorum manu atrocissimum quodque facinus patratum erat, amisso pabulo, vestigia dominorum sequebantur: si qui horum fuere segniores adfugam, de his sumpra supplicia seruilem in modum, & vili sanguine satisfactum exemplo. Latronum & exsulum veteranae cohortes instrumenta saeuientibus, & modestis etiam calamitas, prouinciæque totius malum, primo statim Cardinalis aduentu, sicut ad tepores solis nebulæ dilabuntur, euanuerant. Namque
promulgato.

promulgato edito, quod occidenti socium, impunitatem praemiaque insuper dabat, aut inter ipsa latrocinia latebrasque, decollabantur à gregalibus subinde aliqui, & quotidiana exempla dissociabant ceteros, aut ab emissarijs opprimebantur. Feroces procerum animi, tabe carceris, & fortunae conditione aggrauante sumptu, & audita demum in vinculis prouinciae totius trepidatione, fugaque, vel captiuitate, vel nece aliorum, ac suum inde periculum aestimantes conscenescebant ac frangebantur rabie, moerore, metu. Conticuerat atque deserbuerat omnis repente furor, ac si quod imperium nutusue Cardinalis in publicum foret, sedulo cuncta atque obedienter fiebant tamquam à bene moratis, vel discipulis in magistrum, vel filijs in parentem. Tunc ille, perstrictam & afflatam ceu fulguris ictu prouinciam cernens, satis iam esse terroris, satisque minarum arbitratus, institit etiam tractare quietis vias, & fomenta adhibere animis, ut ferre concordiam vellent. Cognitis inimicitiarum causis, & origine factionum, quae familias iam inde à principio alienassent, iniurijs etiam & damnis, quae essent accepta, & illata vicissim, pacificatores ad reconciliandas eas familias adhibebat idoneos, & auctoritatem ipse suam interponendo, spem faciebat, tum honesti tumque reditus in patriam illis qui aufugissent, tum maturae libertatis ac salutis ijs qui in custodia haberentur. Fortunae interim noxiorum atterebantur. Corpora in vinculis degebant; & amicum aliàs patriae nomen exsulibus hor-

rori erat. Sed cuncta, quae Arcimboldus in Romana illo legatione imperioque fecerit aut instituerit, persequi non operae habeo cum ad ea, quae sunt huius Ambrosiani instituti vix sufficiam. Erat adhuc in prouincia Cardinalis, cum Episcopus Nouariae mortuus multos eius Ecclesiae cupidos excitauit. Namque Nouariensis Ecclesia, praeterquam quod late admodum patet, estque in amoena Insubriae parte vetustigalibus iustructa satis amplis, adiunctam etiam habet dynastiam, imperiumque locorum aliquot haud ignobilium, & fertilissimi tractus. Ideo pontificatum cum atque iurisdictionem haud obscuris in Ecclesia meritis homines, appetebant. Sed Pontifex Sixtus Arcimboldum praetulit. Sixto postea successit Innocentius VIII. isque vacuam Nardini morte Metropolitim hanc eidem mandat Arcimboldo, quam triennio rexit absens. Nitebatur enim per ea tempora Romana res huius praecipue consilij & auctoritate, nec ei discedere ab vrbe iam licebat, ibique est mortuus. Adoleuerat ad omnem eximiae virtutis gloriam disciplina & imitatione Ioannis Arcimboldi, frater eius Guidus Antonius non minus ingenij studiorumque similitudine quam natura frater. Quippe animaduersum hoc in omni aeuo compertumque est, ut corporum, in familijs, ita etiam animorum esse similitudines atque germanitates, & quomodo naeuum aui notamus aliam, post longum saeculorum ambitum retulit nepos aliquando vnus, ita vitia virtutesque, & mores habitusue nepotum prauis siue honestis

Zzzz nesti

nesti saepe regenerauere auos. In fratribus quidem
 id ipsum usu venire tanto magis potest, ut referant
 alterius alter animum corpusue, eaq; naturae imita-
 menta passim spectantur. Caeterum Arcimboldis
 hisce fratribus etiam quae vano nomine dicitur for-
 tuna vim suam immiscuisse visa est, ut euentis quo-
 quererum, & honoribus ac vitae cursu congruerent
 inter se, itineribusque iisdem fere irent. Fuit in Gui-
 do Antonio praeter iuris ciuilibus prudentiam studium
 illud literaturae interioris, quod à Cardinale adhibi-
 tum fuisse retulimus, ut ipsum ius ciuile, temporum
 & hominum vitio barbarum prope atque infuscatum
 expoliret. Fuit item animus ei, sicut fratri, guber-
 nator quidam, & apte compositus ex modestia simul,
 & quicquid illud est, quod huic virtuti mansuetudini-
 que diuersum gubernatio populorum iniungit. Ad
 tractanda principum negotia par cum fratre habili-
 tas, & quicquid illud item in moribus & sermone re-
 quiritur affine regnantium animis, ut minorum al-
 loquia grate admittant. Ea nimirum habilitate &
 gratia, naturaeque munere Ludouico Principi pla-
 cuerat, quoties inter illos nutantis fortunae motus,
 atque etiam antequam nutare inciperet, mittere vo-
 luerat de imperij rebus ad amicos Principes lega-
 tum. Ita Neapolim, in Pannoniam, in Hispaniam,
 ac denique Romam est missus. Sed & munera do-
 mi magistratusque gesserat eisdem fere, qui Cardi-
 nalis etiam animum in minore fortuna nobilitarant,
 quosue ille nobilitarat. Consiliarius intimus fuerat
 vtriusque

veriusque Sforciae; iura pacis, arbitria belli, foederes
& societates, & rem quoque familiarem principis
tractarat. Per tot munera peruagatus cum esset, ve-
lut struente atque continuante fortuna illum fra-
ternae similitudinis tenorem in extremo quoque actu,
euenerat, ut Romam à Principe legaretur sub idem
fere tempus, quo tempore Cardinalis decessit. Ibi,
sicuti antea frater, ex Sforciae legato, Mediolani Ar-
chiepiscopus creatur. Et ut in simili re parique ne-
gotio, idem etiam Principis animus erga nouam ho-
minis sui dignitatem fuit. Torua reputabat mente
Romanam indulgentiam erga domum hanc Arcim-
boldorum, in qua summus vrbs honos, Ambrosia-
nusque Pontificatus continuata per fratres succes-
sione retineretur. Amisso quoque ministro, & quòd
occasione legationis creuisset, angebatur. Sed post-
quam redijt ille Mediolanum, Ecclesiamque capes-
suit, fiebat artibus & lenitate noui Archiepiscopi, ut
mansuesceret atque verteretur in bonum, quicquid
asperum, siue iniucundum erat. Super omnia commouerat
animos splendor, & magnificentia viri, & proiecta cu-
ra pecuniae, quae rabes ac venenum omnis honestae
famae esse consuevit. Priores Archiepiscopi, siue in-
curia aedificandi, siue temporum ad eam rem insci-
tia, siue etiam perturbatione ac varietate, honeste ac
laxe minus aliquanto habitabant, quàm Ecclesiae no-
men, & amplitudo Metropolitana, tantaque opes
postularent. Sanè voluerant subinde aliqui veterum
Pontificum, ut cuique animus & otium obrigerat,
Zzzz 2 dignitatis

dignitatis aliquid adiacere domicilio, atq; dum id conantur, aliquoties etiam mutata translataque Sedes erat. Nondum tamen, ut dixi, satis commode satisque decore ad hanc sacri Imperij maiestatem habitabatur. Arcimbaldus ei curae animum adiecit; & sicuti politior iam cultiorque aetas illa erat, impetrata etiam a Principe, aerea, extulit aedes in amplitudinem eam, qua contenta esse possit etiam haec temporum nostrorum elegantia supergressa nimium & aspernata priores conatus. Templi maximi cultus ut auctior maiorque esset, ad veterem Sacricolarum numerum, tredecim adiecit alios, & pecuniam, unde res diuina bis quotidie in perpetuum fieret, assignauit. Attribuit quoque pecuniae magnam vim ea conditione, ut perducendo ad fastigium operi insumeretur. Haec agentem mors oppressit nono anno postquam Archiepiscopus creatus erat. Successit deinde ei fratris filius Octavianus nomine cum tricesimum aetatis annum, vel, ut alij malunt, tricesimum alterum haud dum expleisset. Tanta indoles virtutis fuit. Huius animum, siue natura ipsius, siue parentis voluntas flexit in alia studia, quam quae maiores adamarant. Namque cognita philosophiae parte, quae versatur in subtilitate differendi, deinde ea, quae posita est in naturae obscuritate moribusque hominum, & vita, transgressus ad caelestia & diuina, totum hunc maximarum scientiarum cursum ita confecit, ut non anteferreretur solum aequalibus, sed esset etiam admirationi illis, qui in eo genere aetatem consumpsissent. Ea certe fama

te fama de iuvene hoc manavit, atque ita nobis narra-
 raere seniores, qui aiebant sese puerilibus suis annis
 audiuisse grandaeuos alios memorantes auditum id
 sibi cognitumq; ex maioribus natu cum ipsi adole-
 scentes adhuc essent. Curricula illa vtriusque philoso-
 phiae feliciter emensus, sicuti fama eadem tenet, ac
 sicut etiam literis traditum est, conuenit in studio
 quodam etiam politiore, vnde nitor & auctoritas,
 pondusque literis illis, quas antea sectatus erat. Voluit
 enim hoc assequi, vt praeter latini sermonis elegan-
 tiam & copiam, quam semper ad studia illa seuerio-
 ra adiunxisset, Graecorum etiam Hebraeorumque li-
 teris, tum ad monumenta vtriusque linguae interpre-
 tanda, tum ad explicandos animi sui sensus, instru-
 ctus expeditusque esset. Sequebatur iam eum fama,
 tamquam literati gentium etiam illarum homines
 concederent ipsi tempestate ea linguae suae princi-
 patum; atque cum publico hoc fauore maturam ca-
 pestendis honoribus iuuentam ferens, Romam est
 profectus. Iuuenis erat tunc annorum fere quatuor
 & viginti, floremque illum aetatis, mite ingenium, &
 dignitas oris adiuuabant. Itaque, quamquam incide-
 rat in tempora non admodum amica virtuti, cum-
 que Alexandri VI. Pontificatus, alijs potius homini-
 bus & ingenijs fauere videretur, omnia tamen est
 consecutus, quae gratuito contingere possent; ac sub
 Pontifice alio nihil fore ei imperium, autumabat vr-
 bis rumor. Pius III. Alexandro mortuo, regimen hu-
 mani generis, adeptus id statim augurium animo-
 rum

rum comprobavit, assumpto in Patru locum iuvene; ac sperabantur cetera, cum mors eripuit Ecclesiae Mediolanensi Archiepiscopum, qui ostensus magis erat quam datus. In aliquot deinde annos duravit haec nobis calamitas, ut absente Archiepiscopo, per Vicarios regeremur, pastorumque nomina audiremus magis quam ipsos videremus. Namque principes Estenses, Hippolytus primus, & Hippolytus secundus, tum, ob fortunae magnitudinem, in qua nati educatique erant, tum ob legationes amplissimas, aliaque Romana munera, quae occupabantur, haud magnopere rem hanc Mediolanensem curabant, inspiciebantque. Ita, per eos annos, disciplina solutior fuit, & squallebat Ecclesia, non Pontificum tantummodo desiderio, sed etiam importunitate noui, nec daraturus dominatus, cuius mala & turbas nulla commodius narratio repraesentauerit quam nomen ipsum gentis. Ac tanto maior erat ex ea gente clades vastitasque Mediolani, quia Rex ipse rodiens in Galliam, quo praesente vix contineretur exercitus illius licentia; adeo, per se furiosos, contemptu etiam absentis accendebantur. Imperator autem ipse Galliarum exercituum, cui discedens Rex summam reliquerat omnium rerum potestatem, eiusmodi erat, ut, si vel modestia exercitui, vel urbi otium maneret, posset ipse partem utramque in furorem agere factionum stimulis, & magni nominis inuidia, rabieque & instinctu multorum qui fouebant eius viri potentiam, siue detrectabant. Iacobus is erat Triuultius,
animo

animo excelso, ut inimici interpretabantur, inquieto,
opibus nimis. Ludouico infensus, Gallis ob multa
belli pacisque decora inuisus, neque aberat suspicio
quasi plusquam ciuilia agitaret. Inter Mediolanen-
ses fecerat sese Guelfarum partium caput, eamque
lectam dum saeuo fauore effert, ciuilia certamina
exercebat, quomodo, ne inter hostes quidem saeui-
tur. Hinc dolor & ira Gibellinis aduersae factioni,
postquam arbitrio inimici se esse subiectos viderunt.
Et animos ipse asperabat, exercendo per inimicorum
iniurias imperium, eiusque vim vniuersam ad oppri-
mendos aduersarios conferendo. Ad haec, Ciuitas to-
ta militaribus alijs iniurijs foede lacerabatur, nus-
quam prohibente Triultio nisi cum iniuriae pars ad
Guelfos illos suos pertineret. Si citra nominis eius-
damna dedecusue staret rapina vel libido, impune
erat, & magnus alioqui vir Triultius, imperijque se-
ueri, partium studio sic auferebatur. Ita, dum inimi-
citijs & odijs indulgetur, illustres etiam familiae su-
scipere labes, quae vel inimicissimum animum ali-
quo sensu communis humanitatis mouere possent,
atque permissam eam Gallico exercitui licentiam fa-
crata quoque claustra sensere. Triultius demum ipse
ardore animi progressus eò, ut quosdam ob tributa
tumultuantes medio in foro sua manu obruncaret,
facinore hoc totam irritauit plebem, & ore vulgi
Sfortia passim Gallis etiam audientibus polcebatur,
seditiosa ea vox rebellandi principium & nouorum
malorum causa erat. Cumque cresceret quotidie,
hinc

hinc intemperantia & saeuitia Gallici dominatus; hinc fremitus & consternatio Gibellinorum, & in sforciam fauor; ea res accendit exuli principi animum ad tentandam Imperij recuperandi spem celeriore aliquanto quam quae Caesariana vel Mahometana ope inchoata erat. Non enim audiebat tantummodo voces adspersantium Gallici Imperij formam, atque fauentium sibi; sed etiam ob indignitatem rerum, quae quotidie fiebant, vltro relicta patria nobilissimus quisque ad eum ibat, ac si redire vellet, pecuniam & arma, & vitam ipsi suam pollicebantur. His cretus Ludouicus vna cum Ascanio fratre, tumultuaria Heluetiorum & Belgarum manu, celeritate mira superatis montibus, nauibusque conscensis, per Larium lacum vrbi Nouocomo successit. Eadem ibi alienatio in Gallos erat, quam Mediolani conciuerant rapacitas & libido, duo aptissima instrumenta demoliendis imperijs, etiam inueteratis, nedum, vt recens illud & nuperrime inchoatum aduersus eam tabem imperiumue stare posset. Itaque municipes, vt adesse sforciam senserunt, nihil sane eunctati, faustis vocibus, venire iustum legitimumque principem iubent; armis, & infesto clamore Gallos proturbant. Neque illi segniter cessere, statimque Sforcia sine sanguine oppidum receperat. Id Mediolani auditum, satis iam per se concitatam multitudinem armauit, imparque Triultius absente magna exercitus parte, cum se noctu in arcem abdidisset, postridie excessit, Mox Cardinalis Ascanius & Ludouicus

urbem intrauere insigni leuitate fortunae militaris ad
eripienda restituendaque imperia dominosque com-
mutandos. Sed non pari facilitate ceterae vrbes, vel
aliquam etiam Sforciae violentiam olim expertae,
vel eandem pro Gallo fortunae commutationem ac
leuitatem metuentes, reducem Ludouicum admitte-
bant. Iam ille Metropolim tenebat, & Gallicum
adhuc retinere praesidium malebant Laus & Placen-
tia, & quicquid terrarum in transpadano tractu su-
biectum Metropoli esset. Velut ex rerum euentu ca-
pturae consilium cunctabantur, atque suspensos ex
fortuna animos gerebant, ex ijs, quae post fugam re-
pente Ludouico tribuisset, quam incetta esset, aesti-
mantes. Itali verò principes, aut expectatione flu-
ctuant eadem, aut subsidia leuiora pollicebantur,
quàm quae praesens necessitas rerum, & imminens
rursus ex Gallia periculum postularet. Instauraba-
tur ab Rege bellum apparatu maiore; pudorque &
dolor ob amissam Insubriae Metropolim, & ira in
Mediolanenses, quò maiora erant incitamenta Gallo,
tantò plus minarum, Sforciae ceterisque per Italiam
dominationibus ea rerum facies ostendebat. Ee
Cremonae Episcopus missus ab Cardinale Ascanio
ad Venetos, triste respòsum retulerat, placere Senatui
foedus, quod cum Galliae Rege ictum haberet, neque
legationem praeterea vllam esse admissuros, quae
aduersus initam eam societatem mitteretur. Sanse-
uerinas verò Cardinalis in Germaniam ad Caesarem
eodem terrore destinatus, spem illam tardi nimium
Aaaaaa lentique

lentique moliminis haud magno pre mouebat. Genueses appellati precibus infimis, ut pristina erga Sfortiam obsequia fidemque resumerent, praecise abnuebant; itemque Florentini appellati de pecuniae summa quam olim eorum Reip. credidisset, prope inficiabantur. Gonzaga, cum in D. Michaelis ordinem ab Rege Galliae cooptatus esset, ordinis eius religionem & insignia exculabar, quominus ab Sfortia contra Regem suum staret ferretque arma. Irritum in tanto discrimine ac prope contemptum auxilium erant, Mirandulanus, & Carpenfis, & Corregiensis, & & Rubeus, & Verminaeus, nobilium quidem Regulorum atque Dynastarum nomina, sed nihil ad Gallici apparatus molem. Ne Senenses quidem cum certo pecuniae numero, momenti quicquam faciebant. Tanta ui Gallus ingruerat. Sed quamquam erant arcta omnia Ludouico, non tamen ei defuit miles; & bene gesserat rem, pugnaueratque manibus acquis, nisi proditio malum ultimum accessisset. Cum enim in utroque exercitu magnus Heluetiorum numerus esset, eaeque copiae ductores suae gentis haberent, composita inter eos duces fraude, Sfortia rerum humanarum ludibrium fuit, ac praebuit foedius aliquanto spectaculum, quam cum antea fugitiuus ab urbe proficisceretur. Ad Nouariam, instante hoste, barbari ferociter ac seditiose flagitare stipendium incipiunt; ni persolutum illico numeratumque sit, sese domum esse abituros minitantur. Non erat Principi ad manum, unde satisfaceret, relictusque Mediolani
Cardi-

Cardinalis Alcanius in oppugnatione Arcis, anxie
tentabat mouebatque omnia, vt conficeret aliquid
pecuniae, quod mitteretur ad exercitum. Id ipsum
excusans ostendensque Ludouicus, prolato argento
omni, quod in militari suo instrumento domesticàque
supellectile haberet, vasa illa tumultuantibus offert.
Addebat preces, & lacrymas, haud minus efficaci ad
humanum animum delinimento, si gens esset alia,
vel nisi parata iam & meditata proditio penitus ani-
mos efferasset. Accepto quod dabatur argento, cum
Sforcia ducere in aciem vellet, summæ rei discrimen
facturus, quod vnicum esse remedium effugiumque
malorum putabat, tunc verò barbari talia quaedam
dicere cœperunt. Esse in contraria acie fratres con-
sanguineosque suos, quorum nollent foedari sangui-
ne, nec posse cum alijs suae nationis hominibus abs-
que principum auctoritate dimicare; super ea re, quid
mandati, quidue decreti ab domo afferretur, ipsis esse
expectandum. Cum eiusmodi dictis abibant, vt sese
ad Gallici exercitus Heluetios adiungerent, vno que
agmine omnes irent domum. Tunc Ludouicus ob-
secrare institit, vt quando ita decretum esset, sinerent
saltem ipsum quoque ire vnà, Helueticoque gregali
cultu ceteris peditibus immistum abducerent secum
atque conseruarent. Fortasse nihil aliud maluerant
proditores ipsi, statimque annuentibus eis, Sforcia
braccatus, & coeno foedatus inter calones, & lixas
ibat deforme spectaculum fortunæ principalis. Per
media Gallorum castra ducebatur, vt ipsa credebatur,

Aaaaaa 2 occultus

Occultus & ignoratus, ut res docuit, monstratus hosti per eos ipsos qui tegentium & occultantium imagine ducebant. Ita comprehensus repente & detracta larua in custodiam datus, tam ignominioso consilij infelicis euentu confudit etiam hostium animos, quibus tantae rei laetitia ex insperato oblata erat. Neque Cardinalis Ascanij fuga felicior fuit. Is cognito fratris casu, victori & irato, & mox adfuturo hosti subducere se se cum properaret, nocturno fatigatus cursu quiescere paulisper ad Ripaltam voluit, & eius rei causa diuertit ad Conradum Landum hominem sibi & vetustate amicitiae, & verò etiam affinitate coniunctum. Fugiebant vna cum Cardinale, potentissimus, & clarissimus quisque Gibellinorum, itemque e Clero Mediolanensi viri graues secuti Cardinalis aulam, & in varia ministeria assumpti, prout cuique, maximarum rerum vsus & oblectando principi sermo eruditus, & artes bonae. Ea cohors affectata Cardinalem, per domum illam inhospitam fessa corpora strauerat, & securi de sua herilique salute partem quietis hauriebant. Sed proditori Placentino, rebus suis opportuna res visa, dum sopitos domi hospites haberet, gratissimum id munus exhibere Gallo. Nec mora; oblitus amicitiae, hospitijque & sanguinis oblitus, accitis ab Placentia Carolo Orsino, & Soncino Benzono, qui in Veneto exercitu ordines ductabant, fessam eam inermemque, & semisomnam manum tradit. Varia inde & miserrima cōditio captiuorum fratrum fuit, quorum olim nomen & famam

mam

nam res Italiae cum admiratione respiciebant. Cardinalem primò Venetias duxere Benzonus & Orsinus, quibus à proditore traditus erat. Ibi aliquandiu fevere magis quàm honeste custoditus, repetente dein Gallo deportatur Lugdunum, mox in Burgensem arcem ablegatur, quæ biennio ante custodia Regis ipsius fuerat. Ludouicus ipse protinus è castris in urbem eandem Lugdunum cum valido praesidio raptatus, ut in conspectum Regis admitteretur, impetrare non potuit. Ostentui ciuibus fuit; tum inera arcem inclusus extabuit moerore vir alioqui magnus, & dignus utique principatu, nisi hunc ipsum scelere partum habuisset, ex quo factum est, ut mala principia similes euentus consequerentur. Mediolanenses attoniti captiuitate Sforciarum, & exitio familiae, & alternantis fortunae ludis, Gallica vi, rebellionis suae, dolore hinc, peenitentiaque & metu, per supplices Oratores polliciti fidem & obsequium in posterum, veniam in praeredita ab Rege impetrauerunt. Sed haec ipsa fluxa irritaque erant, & quaedam eiusmodi rerum series parabatur, ut ab nouo Principe venia esset petenda quòd huic fauissent. Namque dum Ludouicus in Gallia tæbe carceris absumitur, Maximilianus Caesar in paternum imperium restituendi Maximiani susceperat actionem, estque restitutus, ut paulò post etiam ipse caperetur, & paternae calamitatis simulacrum fieret. Anno tertio postquam erat ab Caesare restitutus, capitur ab Galliae Rege, atque super patris fere vestigia ducitur in Galliam attributo

triginta

triginta trium millium aureorum nummum vectiga-
 li in cultum & alimenta captiui principis. Haec vi-
 cissitudines & haec profecto scena circa hanc Insubrig
 Metropolim spectabatur; ac sicuti truditur clauo
 clauus, ita Sforcia Gallum, & Gallus Sforciam inui-
 cem extrudebant. Parabantur enim rursus eae vi-
 ces, eratque futurum adhuc, vt ab Sforcia Gallus pel-
 leretur Caroli Caesaris auxilio, atque hic ipse pelle-
 ret primò illum, deinde restitueret. Neque finis cer-
 taminum & varietatum aliarum, donec versa Sforcia-
 rum stirpe rediret Mediolanense imperium ad Caesa-
 rem, atque ibi in conseruatrice ac praefide Catholici
 nominis Domo intactum & illacessitum maneret.
 Haec ipsa cum causis rerum atque consilijs trahentia
 secum rem Ecclesiasticam vniuersam statumque &
 conditionem huius Ambrosiani Pontificatus, paulò
 post ordine cuncta exequar. Nunc Ludouico capto,
 dominantibus Gallis, acciderat hoc in Ecclesia Me-
 diolanensi, vt indicto aduersus Pontificem Maximum
 Concilio sedes vrbs ipsa Mediolanum destinaretur;
 eaque res gesta est in hunc modum. Postquam Iulius
 II. Pont. Max. ingenij vehemètia verso in arma Põti-
 ficatu, maiestatem illam galea thoraceque foedare
 visus erat, ac nouo ad eam diem exemplo miscuerat
 se se palam factionibus, & odijs, & castris, feceratq;
 se se quasi ceterorum principum vnum, & publicatũ
 cladum partem; tum principes & Reges alij, quorum
 ille meruerat conciueratque odia, siue profanum
 adspernati Pontificem, siue ad suas ipsorum vtilitates
 irasue

iraſue titulo hoc uſi, illam Concilij indicendi actionem mouere atque ferre clandestinis primò deinde publicis conſilijs atque ſermonibus inſtiterunt. Ea ultima neceſſitas eſt Eccleſiae deſperatae; id vinculum, id fraenum antiquitus repertum ſupremae poteſtati, quotieſcunq; Pontificis ipſius culpa & uitio Catholica fides detrimenti aliquid accipiat, neque aliter vnquam illuc deſcenditur. Sed Iulium hunc praeter illam armorum atque certaminum inuidiam; grauabat etiam ſiniſtra principum interpretatio, cum idipſum, quòd proferre fines Imperij, & amplificare Romanae Eccleſiae opes conaretur, ad priuatae gloriae cupidinem referrent. Adeò nimirum in malam partem accipiuntur, tam bene quàm malè facta, ubi coepit aliquis eſſe inuiſus, & ubi cenſura iudiciumque rerum alienarum, cum aliqua etiam noſtra priuata cura peragitur. Nam alioqui magna, & excella quædam erat cura Pontificis, vindicare patrimonium Apoſtolicum, repetere armis quae per vim aut fraudem olim eſſent intercepta loca; dum id ageret, obiectare periculis caput, & ad bombardae etiam ictus aliquando expoſitum manere. Caeterùm, ubi aduerſus bellatorem Iulium, telum illud acerrimum excogitauerunt Principes inſenſi, palàq; Concilij terribile nomen intentabant; ſtatim etiam inter Purpuratos erant ſtudia fauentium ei actioni, ſiue aduerſantium, prout ſcilicet quemque Cardinalem, principum illorum aliquis, Pontifex uel ipſe addictum ſibi obſtrictumque haberet. Varie agitata, & iactata res eò demum adducitur, ut Mediolani congregati
reis

1511
 treis legati Caesaris, legati Regis Galliae, principumque aliorum legati vna cum factionis eius Cardinalibus, Concilio die statueret Cal. idus Septemb. anni huius, qui motu hoc praecipue insignis a Christo nato millesimus quingentesimus undecimus agebatur. Ad eum diem conveniri Pisas iuebant, elegerantque prius conventui locum eum ob alias etiam opportunitates, sed praesertim ob memoriam prosperarum olim illic rerum cum de Pontificatu ambigeretur. Edixerant proposuerantque locis omnibus; Pontifex ipse Iulius ut adesset: ni faceret, interminabantur atque denuntiabant ea, quae interminari ac denuntiare mos est etiam Apostolicae potestati, quoties edicta promulgat. Tanta coniuratorum audacia perculerat haud dubie Pontificem Maximum, confuderatque; sed eodem spiritu ac furore, quo arma tractabat, etiam adiura exsequenda acer, indicto adversus Pisana conventicula legitimo Lateranensi Concilio, causam protinus adversariorum actionemque iugularat. Simul poenis acer, potentissimum quemque Cardinalem secessionis auctores profanat Apostolicis notis exauguratque, & sacro senatu motos in perpetuum, ordineque illo indignos declarat. Illi tamen cum asecclis fautoribusque suis in Pisarum urbe perseverabant, paria decreta, sed non pari auctoritate facientes in Pontificem Iulium, donec parva dictu & fortuita res deturbarer eos inde, Mediolanumque cum infana trepidatione compelleret, ut mox etiam hinc disiecto conventu dissiparentur. Cum enim ea ciuitas iam inde a principio, haud

haud vnquam concoquere hoc potuisset, quod Romanac secessioni semper ipsa sedes atque receptaculum fieret, ac propter eam causam tumultuari non desineret; mulierculae vnus impudicae aduersus Gallum militem clamor & queritatio, paucos primò, deinde plures, postremo ciuitatem vniuersam iam per se irritatam armauit. In eo tumultu, quidam etiam e familiaribus Cardinalium vulnerati sunt, aut interfecti, & crudescente in singula momenta seditione, Patribus haud dubie ipsis periculum imminebat. Itaque damnosum nimis ad Concilij dignitatem & famam existimantes, si quis è suo fortè numero violaretur, postridie eius diei, quo tumultuatum erat, altero suo congressu, quam secundam ipsi Sessionem appellabant, decretum fecere, vt relicta infesta vrbe, Mediolanum inde transfirent ad reliquas res consultandas atq; perpetrandas quarum rerum causa Concilium esset indictum. Quintodecimo die, postquam venerant Pisas, sublati repente rebus Mediolanum inde abibant, eratq; per totum agmen minime simplex habitus animorum. Cardinales & capita reru, egregie vt in malis consultum esse existimationi ac saluti arbitrabantur, quòd repente consternatis ad arma Pisanis, violentia & ira populi neminem ipsorum attigisset. In vrbem iri opulentissimam, tranquille ibi ac tuto cuncta peracturos in Metropoli totius Insubriae, in Galliae Regis imperio, recentique dominatu, vbi flagrantissima erga nouum principem obsequia ciuium forent, vbi demum alterius Romae no-

B b b b b men

men et fama antiquitus sederet. Alijs terrori ad exitum rerum erat nota Urbis religio, ne Pisanos ibi quoque motus inuenirent: alijs id ipsum in spem traheretur, si actio tam iniqua & irreligiola consistere posset nusquam, semperque impediretur. Erant enim in eo numero plerique, quos, non ipsorum voluntas, sed Galliae Regis imperium ad celebrandum eiusmodi conuenticulum adduxisset. Hi moras & impedimenta omnia ponebant in lucro; ac si Mediolani etiam, uti Pisis, tumulti non nihil oriretur, diem fortasse allaturam aliquid ad sanandos animos, resque Ecclesiae componendas autumabant. Non ego subijciam oculis quaecunque, adueniente impiorum coetu faceret omnis benemorata & Catholica Ciuitas; sed trāsferam huc testimonium auctoritatemque Francisci Guiciardini, apud quem de talium hominū in urbem nostram aduentu reperi ita fere scriptum:

» Cardinales, ubi peruenere Mediolanum, contem-
 » ptionem sui nominis, atque peragenda rei difficul-
 » tates reperere easdem, queis in Pifarum vrbe collicta-
 » ti erant. Clerus namque Mediolanensis, quasi, non Pur-
 » purati patres, sed infanda capita & homines execran-
 » di urbem intrassent; ita repente cuncta diuinarum
 » rerum officia cultumque sua sponte omisit. Multi-
 » tudo autem ipsa, quotiescunq; eorum aliquis egre-
 » deretur in publicum, non tacite praetercuntes exe-
 » crabatur, sed contumeliosis alte vocibus personabat;
 » terga passim obuertebant, & motu corporum inde-
 » coro, dignitatem illudebant eam, quam semper antea

„cei diuinum aliquid adorare soliti fuissent. Cum
„que promiscue vniuersos, & sibilis & probris infec-
„tarentur, infestissima irrisio Cardinalem Sanctae
„Crucis excipiebat, propterea quod ille, & supra cete-
„ros emineret magnitudine nominis ac fama, & vlti-
„mo Pisano confessu, caput Praefesque Concilio crea-
„tus esset. Exsequendo inde cetera scriptor idem re-
fert querimonias etiam, quae populi Mediolanensis
indignatione iactatae assidue in Concilium actione-
que totam, haud sine magna gloria ciuitatis vulga-
rentur. Sed repressit aliquantisper constantiam.
Ciuum fregitque Gaston Fois, qui pro Galliae
Rege praerat Vrbi, armaque & exercitum habe-
bat. Is etiam domuit vi sua, & subegit praesenti
ti terrore Sacerdotes, Clerumque vniuersum, vti re-
peterent pristina sacrorum munia, neque quicquam in
vlla diuini cultus parte desideraretur. Hinc robur &
fiducia Cardinibus instaurando Concilio, cui sedem
circumspicere nouam coeperant, iamque si sic res iret,
poenituerat consilij, quo Pisarum urbem reliquissent.
Cum ex insperato quies auctoritasque nonnulla re-
bus eorum obtigisset, congregabantur statis diebus
in Templum huius vrbis maximum, atque dedecus
illud, ceu nouam aliquam cladem crebro cum gemitu
Mediolanenses adspiciebant. Rursus tamen factio
vicissim ipsa languebat, & obtorpuerant Cardina-
libus animi, propterea quod nullus ab Caesare pro-
curator, legatione nulla compareret quae momen-
tum adderet decretis. Et dixerat quidem annuatim

B b b b b 2 que.

que Caesar, ad futuram in tempore suam ex Germania manum; sed mutato nunc animo recedebat à causa sensim & varias necedendo moras, varieque declinando, id agebar, ut negotium dissidiūque illud quam lenissime relinqueret Gallo, ceterisque quibus agere & prosequi ea magis placeret; ac dissolvendi concilij principium id fuit. Sed quomodo eadem haec parta de impijs victoria fuerit, utq; Christi Vicarius, & diris & armis, & vi tota Pontificatus animique sui ad extremum usque persequi rebelles institit, inter ceteras eius aevi turbas, publici annales memorauere. Mediolani sedes atque domiciliū rebellibus illis erat, donec pulsus Gallis, restituto Maximiliano, fugarentur hinc vnā cum Rege fauore Concilij, atque signa sequentes victa in Galliam abirent. Neque Mediolani per eos acta vlla in patriae annalibus extant, nisi quod, ipsum Sanctae Crucis Cardinalem referunt in Templo maximo summum Pontificem esse appellatum, & Martini nomen sumpsisse cū antea Bernardius Caruaialis vocaretur. Hunc, Ordo Columbinianus, qui D. Hieronymi Aedem in Vrbe Monasteriumq; habet, hospitem fuisse suum contendit, quamdiu ille Mediolani Concilij factionisque eius causa moraretur: Ipsos inter tumultus aestusque tam infelicium curarum, atque in medio circumfremētis populi strepitu, curam hanc fuisse Cardinali, ut Templum illud, templique frontē pijs imaginibus eximie picturatum, velut hospitij praemium exhiberet. Natione Hispanus hic fuerat Caruaialis,

uaialis, quod familiae nomeu hodie inter primas eius
Gentis claret, ac tūc nihilo obscurius humiliusue age-
bant. Aderant viro literae & artes, quae principem
decerent, & honesta omnia, nisi deformarentur ad-
piscendi summi honoris cupidine. Ea transuersum
egit hominem, & dum primus esse mortalium tentat,
ad infimos prope est delapsus. Non viderat fortasse Ro-
ma ab condito Pontificatu ludibrium tale superbiae,
quale postea spectatū ibi est tunc cū Caruialis hic, &
facinoris collega Sanseuerinas, Pontificis Leonis in-
dulgentiā restituerentur in Ordinem, vnde Iulius v-
trumque deiecit. Scilicet, principes olim & duo
lumina Collegij, alter etiam ille, vsurpato sacrorum
Regno adoratus à suis, posteaquam Pontificem
exorant, noctu in urbem admissi, postero die,
pro purpureo sirmate, nigra in tunica pileo-
que concolore, frequentissimis Vaticani locis per ho-
minum ora traducuntur. Cardinales in sedem pro-
cessere suam. Pontifex Maximus Apostolico folio
sublimis eminebat: spectator, tantae Urbis populus
& genus prope humanum aderat. Fallus ille Pon-
tifex cum collega suo positus humi genibus ante so-
lium procubere dum facinori damnando petendae-
que veniae compositae preces recitantur. Subleuati
dein, ad genua Cardinalium aliorum singulatim ac-
cedebant: ibi sine motu voceque vlla excipiebantur,
donec per tota subsellia circumducti Collegio redde-
rentur, & ipsi quoque considerent. Id inter cetera,
contumaciae secessionisque piaculum fuit: Sed ex-
terna

terna

terna haec, & temporum etiam ordine dissipata, temporum rerumque nostrarum ordinem prope iam abrumpebant. Cùm Rex Galliae, Sforciam vtrumque, sicut memoravi, alterum Helueticorum fraude, perfidiâ Placentini proditoris alterum in potestate vniculisque haberet; urbemque Mediolanum, & Metropolim Ambrosianam, ceu tutissimum aduersus hostilia tentamenta castellum praefectis & armis infidisset, coeperat esse negligentior ad continendos atque demerendos animos eorum, qui prodito Sforcia victoriam ei simul in manum tradidissent: Ita gens, etiam si non irritaretur, facilis ad transferendam fidem, postquam contemptui se esse insuper videt, ad societatem cum Romano Pontifice ineundam inclinat. Fixum, destinatumque Pontifici Iulio erat eijcere Mediolano Gallos Italiaque tota, non tam odio in hostem Regem, quàm gloriæ cupidine, ut Italiae liberator ipse diceretur. Ideo gentem eam Helueticorum inter cetera auxilia adiungere sibi saepe nequicquam conatus, ubi offensos alienatosque ab Rege esse animos cognouit, vsus inclinatione voluntatum, & legationibus, & promissis, & praesenti pretio tenuit rem, ut haberet eadem iu Gallos arma, quibus armis Galli antea totam conterrefacere Italiâ potuissent. Simul, cum Rege Catholico Venetisque aduersus communem eundem hostem ierat foedus. Ac primò quidem foederata illa arma infelices euentus habebant; magnoque ad Rauennam praelio victor Gallus de summa rerum metum ingentem fecerat;

rat;

rat; Heluetijque etiam cunctabantur. Mox fortuna versa est, & cuncta pro Pontifice aduersus Gallos erant, vt quamprimum eiectio gentis fieret. Anglus & Aragonius, & Caesar ipse, suo quisque metu anxij si tantae Gallorum opes forent, in partem descendebant eam, quam, potentiae huic esse infestissimam videbant. Et iam aderam Heluetij praecipuus Gallorum terror, praecipuaq; spes Pontificis vt eae copia digressae in Mediolanensem agrum & cum Veneto exercitu coniunctae circumfunderent Gallum à tergo pellerentque. Summum verò peragenda rei adiumentum ipsi Mediolanenses irritati Gallorum moribus, & imperium illud accerbissime perferentes, tamquam exercitus aliquis habebantur. Iam enim propter quotidianas iniurias, cò processerāt indignatione ac dolore, vt Regij praefecti, nullum nisi per neces & supplicia ius obtinerent, saeuendique materiam assidue praebat res illa Conuenticuli, de cuius origine & exitu antea demonstratum est. Nam cum ad finem vsque Gallici dominatus, rebellium illorum secta Mediolani perseueraret; quamquam repressa, sicut memorauimus, ciuium aduersus eos libertas, per intervalla gliscebatur acrior infestiorque, nec vllis ab Clero populoque contumelijs in factionem totam abstinabatur. Rursus Cardinalem Medicacum, Pontificis legatum, quem Rex ipse Mediolanum in custodiam miserat, colebant omnibus officijs, eaque erat vniuersae ciuitatis pietas in captiuum, vt contumelia inde in Regem appareret. Vulgò petebantur ab captiuo illo

illo Cardinale & legato piaculares absolutiones ad celestem veniam, animaeque salutem, ut quisque, vel pro Galliae Rege tulisset aduersus Pontificem Maximum impia arma, vel aliquo ministerio Concilij temeratus foret, Qui piacula eiusmodi contraxerant, neque fuerant absoluti, his, si interea morerentur, sacra sepultura denegabatur ab Clero Mediolanensi, omnesque in profano defodiebantur. Tradunt temporum eorum scriptores, tantum fuisse numerum eorum, qui absolutionis causa Legatum adirent, ut ad conficiendas patentes literas non sufficerent homines, asciti in id munus, ac subinde alios assumere scribas necesse esset. Id Regijs aegre tolerabatur, ac dum reprimere poenis eiusmodi concursus volunt; neque assequerentur, & ciuitatis animos asperabant magis, quae iam totam rebellionem spectabat. Sed nulla aliqua res magis erat apta & opportuna Gallis eiiciendis, quam Galli ipsi, discordes inter se, dissipati circa praesidia paruarum urbium, ad summam rerum, non quantum oporteret attenti, alienandis auxiliariis faciles, conscribendis nouis militum copiis auari, quam etiam ipsi culpam in medio discrimine rerum inuicem obiecerant. Et nutantem sic afflictamque eorum fortunam strauit penitus eueritque Maximilianus Caesar properis ad Germanicam impediturum literis & mandatis ut ab Gallico exercitu discederent protinus atque redirent domum. Tunc etiam ipsi Gallorum duces desperare, posse ultra rem Mediolanensem ab sese retineri ac defendi. Ingruebant enim magna vi foederatorum

deratorum arma, & prope vna eademque res fuit, excedere Mediolano Triuultium, ceterosque Regios praefectos, & foedere sacro (hunc enim sibi titulum indiderant) iunctas manus subire illuc. Cardinales capita Concilij ad primos perditarum rerum tumultus in Galliam aufugerunt. Medicacum, Galli fugientes, cum rapido secum agmine ducerent, homines probi familiares ipsius, facta manu raptoribus eripuerunt, ipseque etiam vim adiuuit astu, & simulatione morbi, qua morari potuit agmen tantisper dum componeretur ordo peragenda rei. Quidam ipsum euasisse Mediolano, deceptis custodibus malunt, artificemque fugae Blasium Cribellum memorant. Pulsis in hunc modum Gallis, recepto Mediolano, statum vrbis Octavianus Sforcia Episcopus Laudensis regebat, interea dum Maximilianus Ludouici filius reduceretur sicuti Caesari foederatisque placuerat. Iam enim Veronae erat Maximilianus, ibique Caesaris iussu & auctoritate, possessionem adibat imperij paterni, Mediolanum venturus, vbi primum Episcopus Gurgensis, quem Caesaris nomine oportet interesse actioni, venisset ab Roma, quò Lateranensis Concilij causa, nomine eiusdem erat profectus. Ut ille adfuit, deducitur Sforcia Mediolanum accipiturque summam Ciuitatis laetitiam, quamquam inesset timor & cura multorum animis, quos praesens potentia Gallorum externo imperio fauere coegisset, quae etiam vltro illuc inclinassent. Cum ad portam vrbis pompa peruenisset, paulisper dubitatum est in-

Ccccc

ter

ter Cardinalem Sedunensem & Catholici Regis Legatum, vter eorum, Portae clauis Principi traderet, quae caeremonia rem ipsam continebat, vtri etiam parti Sforcia, fortunam eam in quam restituebatur, ferre acceptam deberet. Tandem acrius tendenti Sedunensi cessit Hispanus, vt Heluetiorum genti blandimentum id daretur. Cùm Sfortia restitutus in hunc modum esset, erat deinde Mediolani per aliquot dies is habitus & ea facies rerum, quasi natale quoddam huius patriae tempus Ciuitas tota concelebraret. Principem enim receperant natium; & quamquam sublatu veneno Consobrinus paternumque veneficiũ ante oculos adhuc obuersaretur, magis tamen valebat in animis memoria Aui, in cuius mores abiturum esse iuuenẽ sperabant. Neque Ludouicus scelere quaesitum imperium pessimis alioqui artibus exercuerat. Ac si nihil horum esset, laetabantur tamen, quod ex pristino seruitio in qualemcunque statum euassent. Aduuabat verò ipse laetitiam hanc spemque communem pietate erga res diuinas, comitate erga omnes, ac praesertim excelso dissimulans animo offensionem in eos, qui studuissent Gallis, vltroque necessitatem incusans, ne dissimulata ira in maius crederetur. Satis constitit, factionis Gallicae homines, tum ex Clero ipso, tum ex reliqua nobilitate, quos conscientia praeteritarum rerum meditari fugam coegisset, perspecta noui Principis indulgentia, consilium id omisisse, ac domi esse retentos. Quidam etiam, cùm vestigia secuti Gallorum abissent, rediere, neque in cuiusquam

cuiusquam bona sacutum. Fiebant haec modestia quidem & probitate iuuenis, sed principum etiam ipsorum consilio, per quos in Imperij sedem erat deductus. Substitere namque Mediolani consilijs agendis disponendisque rebus aliquandiu, Catholici Regis legatus, & Sedunensis, & Gurgensis, grades natu homines, & regendis mortalibus atque tractandis Regum negotijs inueterati. Horum igitur prudentia primis diebus Maximiliani animum regebat, ne in magna potentia magnisque hominum culpis, aetatis etiam vitio quicquam fieret secus atque tam lubricae res postularent. Non ille tamen effugit occultae cōiurationis initia eruptura haud dubie in necem, nisi ante tempus inditium emanasset, ut reseruetur ad ludibrium idem humanarum rerum, quo pater ipsius hostili in terra contabescebat. Sacramorus erat Vicecomes, partium Gallicarum acerrimus instigator, & multa hostilia pro Rege in Sfortias ausus. Non credebat is totam ex vero & sincero clementiā esse, quam Princeps Maximilianus ad initia rerum adhiberet; siue credebat, & sicuti sunt animi quidam implacabiles, manebat infensus & toruus. Assumptis in consilij societatem, quibus eandem esse suspicionem, eundemue animum sciret, corruptisque in eundem sensum nonnullis alijs, quorum solerti audacia spes facinoris patrandi indigeret, coniurationē interficiendi principis fecit. Negotio fuit euentus, qualis esse conspirationibus solet, eaque in suum caput deprehensa machinatione Princeps, urbem ipsam

Ccccc 2 Mediola-

Mediolanum adspernabatur oderatque, ac suam ibi
 tam infestam esse vitam sciens, Nouariam hinc secessit.
 Sed Gallorum arma iam ipsum appetebant, momentis
 omnibus fremente Rege, quod amissa per suorum
 negligentiam vrbe Mediolano, Italiae possessione
 deiectus foret. Et ille quidem Rex Galliae Ludouicus,
 dum totas aduersus Maximilianum Regni vires
 ciet, in medio saeuissimi belli apparatu mortuus, huc
 etiam conatum vna cum reliqua regiarum curarum
 mole vanum reliquit. Ceterum ei successit, Italiae
 potiundae appetentior, ingenioque feruidiore Francis-
 ciscus, qui, vel capi ipse, vel capere Mediolanum cer-
 tus, cum validissimo exercitu in Italiam descendit, au-
 ctus etiam Venetorum auxilijs, quae Resp. pro Sfor-
 cia nuper aduersus Regem Ludouicum steterat. Mu-
 tabantur enim inter eas Italiae calamitates, foedera
 societatesque principum vna cum rerum ipsarum sta-
 tu, & saeuus ille ludus spectabatur, vt postquam alieno
 sanguine vicerant alios alij, mox aduersus victoriam
 ipsi suam iidem pugnare vellent. Sic Veneti, cum pro
 Maximiliano consociauissent nuper arma, nunc in eum
 ibant, vt prioris foederis euentum abolerent foedere
 nouo. Pugnatum est ad Melinianum decimo ab vr-
 be lapide cruenta vtrunque pugna; sed vicere Galli.
 Rex Franciscus in loco victoriae Monasterium postea
 extruxit, attribuitque Fratribus Celestinis, quod monu-
 mento ad posteros esset. Misera, & magna Ciuitas
 toties victa, totque tam breui tempore sortita domi-
 nos, ne nunc quidem stabile adesse quicquam vide-
 bat.

bar. Secuta tamen id quod adesse videbatur, legatos misit ad victorem Regem, qui dederent urbem, & patentibus ipsum expectari portis nuntiarent; populum Clerumque Mediolanensem expectare quid Regiae maiestati placeret. Confestim ille sequendo rerum cursum, Mediolanum venit, ibique Sforciam victoriae cumulum adeptus, cinctum eum militari custodia ablegavit in Galliam, ne, vel interfectus, in sacuitiae exemplum abiret, vel profugus obesset securitati rerum quae longe aberat Regi. Iam enim hostis maior ei imminabat, ab longa Caesarum stirpe procreatus, Caesarque ipse, paterna origine Germaniarum alumnus, ab Aviae dote septemdecim provinciarum heres, materno iure Hispanias & tot secum regna trahens Carolus, cui vim geniumque victorem aduersus Gallum cum Regem adfuisse post euentum credidimus.

